

4. Unde nunc noster chorus in honorem
Ipsius hymnum canit hunc libenter,
Ut piis eius meritis iuvenmur
Omne per evum.

5. Sit salus illi, decus, atque virtus
Qui supra celi residens cacumen,
Totius mundi machinam gubernat
Trinus et unus. Amen.

2.

In natali Confessoris Pontificis. Ad Vesperas.

1. Iste confessor domini sacratus,
Festa plebs cuius celebrat per orbem,
Hodie letus meruit secreta
Scandere celi.

2. Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit, et quietus,
Vita dum presens vegetavit eius
Corporis artus.

3. Ad sacrum cuius tumulum frequenter
Membra languentum, modo sanitati,
Quolibet morbo fuerint gravata,
Restituuntur.